



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 42. Quæstiones Imperatori Græcorum a Papa propositæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](#)

§. XLI.

Sæcul. XV.

A. C. 1439.

*Imperatoris postulatio de danda Græc-  
cis facultate publice sacra fa-  
ciendi.*

Absoluta Decreti subscriptione, Imperator postera die Papam rogabat, ut sacram Sacrificium in eadem Ecclesia celebrandum Græcis concedat, assistente ipso Pontifice, Cardinalibus, ac Præsulibus Latinis. Papa missis ad Imperatorem Cardinalibus, quanam Lithurgia ute- rentur, edoceri voluit; Cum vero illam Archiepiscopus Rhodius eis exposuisset, hi totam rituum rationem ad Pontificem referunt, qui, priusquam publice sacris operari græcis permitteret, aut ipsem Papa eorum Sacrificio præsens interesset, consultius fore judicabat, si ex cujusdam Græci Sacerdotis Missa privatim, & juxta eorum ritum celebrata certius capere- tur experimentum, utrum in eorum Li- turgiis, quod offendere posset, quicquam occurrat. Græcorum Imperator comper- to Pontificis responso sibi ab Oratoribus delato aquievit, nec amplius petitioni suæ institit.

§. XLII.

*Quæstiones Imperatori Græcorum a  
Papa propositæ.*

Pontifex apud Imperatorem plures alias,

Gg 5      quæ

Sæcul. XV. quæ Græcorum Liturgiam respiciebat,  
 A. C. 1439. movit quæstiones. Inter alia scicitatur,  
 cur Orientalis Ecclesiæ Sacerdotes  
*panem postea offerendum in plures tum ma-*  
*pres tum minores particulas dividant, easque*  
*in oblatione pani divino ac Dominico, i.e.*  
*majori, quam in memoriam Domini offe-*  
*runt, particulæ conjungant: Quare infe-*  
*nient capita, cum nondum consecrata deferant*  
*sacra munera? Cur in sacrum Calix*  
*aquam ferventem infundant? Quam ob confi-*  
*sam Episcopi non inungant sacro Christo*  
*te, sed Sacerdotes, cum tamen hoc Pos-*  
*ficiibus sit reservatum? Quare mortuos in*  
*sepulturam oleo inungant? Cur Sacerdos*  
*& Episcopi sacrum facturi, non prius con-*  
*fessionem emittant? Quare post Conser-*  
*tionis verba hanc subjungant orationem:*  
*Fac panem quidem hunc pretiosum Corpus*  
*Christi tui: & transmutans ea Spiritu pro-*  
*Ello tuo, Amen, Amen, Amen? Cur con-*  
*jugia dirimant? & tandem qua de causa*  
*non elegant hic Patriarcham, sed velint dis-*  
*fine capite.*

Archiepiscopus Mitylenensis ad Pa-  
 pam destinatus canonice omnia legitimè  
 dissolvit, præterquam duo, cur scilicet Ma-  
 trimonia dirimantur, & Patriarcha non ele-  
 gatur. Quid vero Præful iste ad propo-  
 fitas quæstiones responderit, acta silent.  
 Exstat tamen egregium ac longe utilissi-  
 mum opus Petri Arcudii Presbyteri Col-

cyrei

syræi: *De concordia Ecclesiæ Occidentalis, Sæcul. XV.*  
*& Orientalis in septem Sacramentorum ad-A C. 1439.*  
*ministratione, ex quo plura perspicere licet.*

### §. XLIII.

#### *Sententia Græcorum de conjugiis.*

De dissolutione Matrimonii tunc Græci nihil respondere poterant, nisi quod matrimonia absque iustis caussis non dirimant: cum tamen præcipua controversia in eo versaretur, quod Græci existimarent, licitum esse matrimoniū in caussa adulterii non modo dirimere, sed & novum contrahere: Latini vero propugnarent, conjugium quidem ob hoc crimen *quoad thorū, & cohabitationem*, ut Theologi loquuntur, non autem *quoad vinculum dissolvi posse*, ac proin nec ad alias nuptias transire permisum. Cujus doctrinæ veritatem idem Arcudius ex ipsis antiquorum tum Græcorum, tum Latinorum Patrum auctoritatibus invicte demonstrat. Insuper apud *Taper to. 2.* Ruardum Taperum insignem Lovaniensem Theologum legimus, Græcos sacræ paginæ testimoniis ad id demum fuisse in Synodo compulsos, ut Confirmationem vere esse Sacramentum agnoscerent, quod eos antea negasse idem afferit. Verum, hac de re nulla omnino mentio in *Actis Synodalibus* occurrit.

Post-

*art. 12, de  
Confirm.*